



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXIII. De raptoribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
 CHRISTI  
 1122.

sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, vt præ-  
 lati ipsi præcepta Canonum tam circa prædicta,  
 quam circa eorumdem euitanda cibaria, per censu-  
 ram ecclesiasticam faciant inuiolabiliter obseruari.

Damnandæ cupiditatis iniquitas, qua mercato-  
 res Christiani victualia deferunt Sarracenis, nota-  
 bile damnum\* afferunt Christianis, dum ex hoc &  
 Sarracenorum releuatur inopia, & terra Christia-  
 norum victualibus sibi necessariis vacuatur. Cum  
 igitur præmissa fieri tempore guerræ sint a iure  
 prohibita, prælatis omnibus & singulis præcipimus  
 & mandamus, vt committentes præmissa excom-  
 municatos in suis ecclesiis faciant publicari. Sen-  
 tentia autem huiusmodi in cathedralibus & paro-  
 chialibus ecclesiis, & specialiter partibus Sarrace-  
 norum vicinis, saltem quater in anno solenniter pu-  
 blicetur.

X X I I .

Lex continentia, & tori coniugalis fidelitas  
 quandoque per concubinarium abusum, quando-  
 que per secundas nuptias, quas plerique de facto,  
 cum de iure non possint, contrahunt contra legis  
 diuinæ præcepta, indebite violatur. Ideoque statui-  
 mus, vt quicumque coniugatus concubinam pu-  
 blice detinere præsumpserit, vel coniugatus, aut  
 non coniugatus concubinam infidelem præsum-  
 pserit detinere, tam ipsi quam ipsæ eo ipso senten-  
 tiam excommunicationis incurrant. Prælati vero  
 sententiam huiusmodi in ecclesiis faciant sæpius pu-  
 blicari.

X X I I I .

Execrabilem quorumdam Christianorum abu-

Concil. Tom. 29.

O ij



sum, quo nonnulli Christianos rapiunt vel furantur, & eos Sarracenis vendunt, aut aliter quomodocumque trahunt, abhorrentes, statuimus, vt nullus Christianus prædicta vel aliquid prædictorum exercere audeat: alioquin in sententiam excommunicationis incidat ipso facto; & quod postquam a dicta sententia absolutus fuerit, nisi prius satisfecerit, careat ecclesiastica sepultura. Prælati sub interminatione diuini iudicii præcipimus & mandamus, vt filios eorum, videlicet qui prædictis modis subtractos Sarracenis tradunt, cum affectu vsque ad tertiam generationem ad sacros ordines & ecclesiastica beneficia non admittant. Sententia vero huiusmodi in cathedralibus ecclesiis maxime partibus Sarracenorum vicinis, saltem quater in anno solenniter publicetur.

Ex frequentibus prælatorum querelis percipimus, quod nonnullæ religiosæ personæ exemptæ & non exemptæ, ecclesias, decimas & alia ecclesiarum & prælatorum bona mobilia & immobilia tam notabili læsione violenter vsurpant & iniuste detinent occupata. Vt igitur tales iniuriatores poena puniantur canonica, & ecclesiæ ab iniuriis ac molestiis releuentur, præcipimus, vt prælati constitutionem felicis recordationis domini Clementis papæ V. quæ incipit: Religiosi: contra tales in ecclesiis suis publicari faciant diebus dominicis & festiuis, & incidentes in eiusdem constitutionis poenas, excommunicatos & suspensos nominatim faciant publice nuntiari.